



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. F. Ioannis Nider Ordinis Prædicatorum Theologi De Reformatione Religiosorum Libri Tres**

**Nider, Johannes**

**Antverpiæ, 1611**

XVIII. Quando obiiciunt modum procedendi in reformatione ineptum;  
panditur quanta calliditate se palliare consueuerunt vitiosi & hypocritæ:  
sicut faciunt Behemoth, lamia, draco, & ericius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45728)

## CAPVT XVIII.

*Quando obiiciunt modum procedendi in reformatione ineptum; panditur quantâ calliditate se palliare consueuerunt vitiosi & hypocritæ: sicut faciunt Behemoth, lamia, draco, & ericius.*

**A**D vltimum, quando in modo procedendi ad reformationem, calumniatur deformitatem: cùm enim quidam maligni per reformatores sibi vident nihil aliud, quàm quæ in regulâ & statutis vouerunt, præcipi, & eis omnia superiora soluuntur argumenta, eisque charitatiua in grauibus cærimoniis dispensatio danda promittitur; adhuc velut ericij callidi, quibusdam se vestiunt obiectionum, nescio quarum, spinulis, quibus aut tempus ineptum esse pro reformatione dicant, aut reformatores inscios esse terræ consuetudinis autumant, aut sæculares contra Clerum plus solito per reformationem concitari prophetant; aut ordinem tendendi ad reformationem accusant, aut alia figmenta cudunt: quæ, & similia, inordinatos modos nuncupant; quæ vix littera, aut recta ratio excogitare valeret in filiis lucis, quibus prudentiores sunt filij huius sæculi, scilicet in generatione suâ hac

pessimâ : quam non ambigo periculosius  
 obsessam à dæmonibus , quàm eos qui ma-  
 niâ tenti, vinculis alligantur ferreis. Talium  
 callidorum hominum versutiam B. Grego-  
 rius 33. Moraliū , squamis Behemoth &  
 draconum naturæ , lamix , & ericiorum af-  
 similat: Corpus, inquit, illius (scilicet Behe-  
 moth) scuta fusilia ; compactū squamis sese  
 prementibus fertur : quia draconis corpus  
 squamis tegitur, ne citius iaculatione pene-  
 tretur : ita corpus omne diaboli, id est mul-  
 tudo reproborum , cū de iniquitate suâ  
 corripitur , quibus valet tergiuersationibus  
 se excusare conatur , & quasi quasdam de-  
 fensionis squamas obiicit , ne transigi sa-  
 gittâ veritatis possit. Quisquis enim dum  
 corripitur , peccatum suum magis excusare  
 appetit , quàm deslere , quasi squamis tegi-  
 tur , dum à sanctis Prædicatoribus gladio  
 verbi Dei iaculatur, Sciendum tamen est,  
 quòd istæ defensionum squamæ , quamuis  
 penè omne humanum genus contegant ;  
 hypocritarum tamen specialiter & callido-  
 rum hominum mentes premunt. Ipsi ete-  
 nim culpas suas tanto vehementius confi-  
 teri refugiunt , quanto & stultius videri ab  
 hominibus peccatores erubescunt. Cor-  
 repta itaque simulatio sanctitatis, & malitia  
 occulta reprehensa , squamas obiicit ; de-  
 fen-

B. Greg.  
 33. Mor.  
 s. 31.

cap. 32.

fensionis & veritatis gladium depellit. Vnde benè per Prophetam contra Iudæam dicitur: *Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi re-* Iſa. 34. 14.  
*quiem, ibi habuit foueam ericius.* Per lamiam ergo hypocritæ, per ericium verò malitioſi quique, qui ſe diuerſis deſenſionibus contegunt, deſignantur. Lamia etenim humanam dicitur habere faciem; ſed corpus beſtiale. Sic & omnes hypocritæ in primâ facie quod oſtendunt, quaſi ex ratione ſanctitatis eſt; ſed beſtiale eſt corpus, quod ſequitur: quia valde iniqua ſunt, quæ ſub bonâ ſpecie moliuntur. Ericij autem nomine, malitioſarum mentium deſignatur deſenſio: quia videlicet ericius, cùm apprehenditur, eius caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conſpicitur; ſed mox vt apprehenſus fuerit, ſemetipſum in ſphæram colligit, pedes introrſum ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manum totum ſimul amittitur, quod ſimul antè videbatur. Sic nimirum malitioſæ mentes ſunt, cùm in ſuis exceſſibus comprehenduntur. Caput enim ericij cernitur, quia, quo vitio peccator ad culpam acceſſerit, videtur. Pedes ericij conſpiciuntur, quia, quibus veſtigiiſ nequitia ſit perpetrata, cognoscitur. Et tamen adductis repente excuſationibus ma-

H s                      litioſa

litiosa mens introrsus pedes colligit; quia cuncta iniquitatis suę vestigia abscondit: caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse prauum aliquod ostendit, & quasi sphaera in manu tenentis remanet. Hęc ille. Ex premissis igitur solutionibus patet, quàm incassum sæculi huius homines moueantur contra lucis filios per argumenta callida. Quo contra Apostolus clamat: *Nolite conformari huic sæculo.*

